

B. 191.



DE
CIMBRORVM IN REMPVBLICAM²
LVBECENSEM

ET

LVBECENSIVM IN CIMBRIAM
MERITIS

DISSERTATIO EPISTOLICA,

AD

IOANNIS MOLLERI

CIMBRIAE LITERATAE

EDITOREM,

VIRVM CLARISSIMVM DOCTISSIMVMQVE,

OLAVM HENRICVM
MOLLERVM,


SCRIPTA

A

IO. HENR. A SEELEN,

SS. THEOL. LIC. ET GYMN. LVBEC. RECT.

LVBECAE.
OPERIS GREENIANIS. A. MDCCXLIV.



Magnopere Tibi, VIR CLARISSIME, non Cimbriam modo, sed totum quoque obstringis orbem literatum, dum celeberrimi Parentis tui, IOANNIS MOLLERI, Rectoris olim Flensburgensis, neque de Patria solum, sed erudita etiam historia optime meriti, cuius nomen doctorum virorum monumentis inclutissimum, & laudes, longe lateque vagatae, manebunt, *Cimbriam Literatam* in lucem feliciter producis. Edis enim opus incredibili multorum annorum labore (cuius partem quandam ipse etiam testari possum, dum ea mihi obtigit fortuna, ut tam celebri viro per biennium in civitate Flensburgensi, cuius grata valde mihi est memoria, Collega usum suavisimum) elaboratum. Edis opus multa refertum doctrina, quod auctorem prodit Polyhistorum. Edis opus vtilissimum, e quo & cives & exteri multa possunt cognoscere insigniter ipsis haud dubie profutura. Edis opus, in quo occurrent non pauca, huc usque a nemine observata, memoriaeque prodita. Edis opus praestantissimis, quae nostra prodeunt aetate, iure meritoque annumerandum. Bene idcirco de erudita mereris historia, dum id publici facis iuris, quo celebratissimus Pater tuus de Cimbris, imo vero non Cimbris modo, sed multis etiam aliis, praeclarissime fuit meritus. Gratulor Tibi proinde exantlatum laborem pereximium, e quo non potest non insignis ad Te laus redundare. Maeste ista, VIR DOCTISSIME, eandemque *Supplementis*, quae ad Cimbriam moliris Literatam, ex voto amplificata. Quod dum candido opto, Cimbriae & simul Lubecae, cui vtrique optime cupio, in utraque multa, quae gratam in me excitant mentem, expertus, memor, attin-

atingam , ne inanis , foloque verborum , nullo autem rerum apparatu instructa ad Te veniat Epistola , breviter amicum , quod Cimbriam inter & Lubecam conspicitur , vinculum , paucis , honoris ergo nominando magis , quam copiose describendo viros de re sacra , civili , literaria , meritisimos , de Cimbriorum in Rempublicam Lubecensem & Lubecensium in Cimbriam Meritis commentaturus.

Ea , quae debetur Principibus , veneratione principe loco memoro illustrissima in Venerabile Capitulum Lubecense merita Serenissimorum Slesvici & Holsatiae Ducum , IOANNIS ADOLPHI , IOANNIS FRIDERICI , IOANNIS , CHRISTIANI ALBERTI , AVGVSTI FRIDERICI , CHRISTIANI AVGVSTI , qui splendidissimam Episcoporum Lubecensium dignitatem (1) tanta gesserunt gloria , vt mea isthaec laude multo fit maior , imo disertissimi etiam praeconis facultatem transcendat . Maximum decus , meritorum maximorum iubare coruscans , conciliat summae venerationis causa appellandus Serenissimus Slesvici & Holsatiae Dux , electus haud ita pridem Regiae Maiestatis Suecicae haeres , ADOLPHVS FRIDERICVS , qui Episcopus inter Lubecenses eminent , ad id evectus fastigium , ad quod nemo antecessorum ascendit . Vnde quoties nominatur , aut scribitur Episcopus Lubecensis , toties immortalis augustorum Ipsius meritorum fama percrebescit .

Praeter hos Cimbros serenissimos dantur plures meritis in Rempublicam Lubecensem , variosque eius ordines , eximiis conspicui , de quibus , habita seriei literarum ratione , strictim nonnulla iuvat annotare . Praedicandi idcirco veniunt

ARNOLDVS (Io.) Slesvicensis , cui dum an. 1455. Secretarii (2) munia demandata , meritis in Rempublicam Lubecensem inclarescendi simul praebita est occasio .

BORCHERS (Gerh.) Bosovio-Holsatus , Praeceptor , vt vocatur , Annaeanus .

A 2

(1) Conf. IAC. a MELLE Gründl. Nachricht von Lübeck p. 110 sq. edit. sec. vbi & anni impetratae dignitatis Episcopalis , & anni , quibus , morte ea fuit deposita , annotati reperiuntur .

(2) loc. cit. p. 79.

naeanus, qui simul Concionatoris munere fungitur, an. 1698. d. 6. Dec. electus, an. 1699. d. 2. Febr. defunctus (3), cuius merita, in officio difficillimo sane haud exigua, licet in ipsis subsisterint iniitiis, is tamen non fuit plane omittendus.

von BORNEHÖVEDE (Wilkinus), quem Georg. Frid. Neumannus (4) recte Holfatum, minus recte *Wirkindum* appellat. Fuit ille an. 1256. & sqq. inter Viros Consulares Lubecenses (5), quibus de Republica bene merendi quotidie anſa ſuppeditatur.

BROKES (Io.) Ploenensis, qui e Cimbria percelebrem familiam Brokesianam Lubecae intulit. Functus ille est munere Senatoris, Praefecti classis, ac tandem Consulis, quam spartam magnificam per duodecim ornavit annos, d. 29. Mart. 1585. mortuus. Inclaruit tum rebus praeclarissime gestis, tum eo etiam, quod Lubecae dederit filios peregre-regiis in Rempublicam meritis illustres, quos alio loco (6) praedicaui.

DEHNS (Balthaf.) natus 1672. d. 12. Sept. in Sacro Wagriae Portu, quem appellant Hierohafniam, ubi pater, Balthasar Dehns, Pastoris munus gesit. Studia Gymnastica Lubecae, Academica Ienae pertractavit. Redditus Lubecae, an. 1704. d. 10. Ian. electus est Ecclesiastes Petrinus, meritis in rem sacram inclytus deinceps factus. Obiit an. 1713. d. 19. Octob. Plura de eodem annotavit Enoch. Suantenius, cuius extat Memoria Dehnsiana.

FABRICIVS (Georg.) Slesvicensis, Iac. Fabricii, sacrorum in Ducatu Slesvicensi Praefulis, filius, Rostochii auditor Io. Kirchmanni, ab eodemque an. 1613. Magister creatus, Lubecae deinceps ipſius collega, an. 1614. Subreſtoris auspiciatus munia, quae postea cum Conreſtoris Hamburgensis officio permutavit. E pulvere scholastico rediit in Cimbriam, sacrumque apud Wesselburenſes primum, deinde apud Poppenbullenſes munus administravit. Vide, quae de eo, ipsiusque scriptis, in Historia Athenaei Lubecensis (7) memoriae a me sunt prodita.

GLOXIN

-
- (3) l. c. p. 219. (4) Orat. de Favore Lubecensium in Exteros pag. B. 4.
 (5) Conf. MELLIVS l. c. pag. 32.
 (6) Athen. Lubec. P. I. p. 125. sqq. (7) l. c. P. IV, p. 286 sqq.

GLOXIN (Dav.) Burgo-Femariensis, patre, Davide Gloxin, Consule Burgenfi, an. 1597. d. 16. Mart. natus, non ICTus modo celeberrimus, sed & Consiliarius Caesareus, & Reipublicae Lubecensis primum Syndicus, deinde Consul primarius, an. 1671. d. 26. Febr. mortuus, iis factus illustris est meritis, vt sempiternae nomen suum gloriae commendarit. Hermannus Nottelmannus in Progr. funebri eum idcirco *Reipublicae Atlantem* vocare nullus dubitat. Idem admirabundus de eo scribit: *Bone Deus! quas non ille Legationes, ad Imperatorem, ad Reges, ad Principes; in Daniam, in Sueciam, in Westphaliam; ad tractatus pacis universales, ad Imperii Comitia, ad conventus publicos, suscepit, obiit, perfecit. Loquuntur ea de re integri libri, praedicant integrae civitates, inest uniuersa Germania.* In hac celebris putissimum est ob Legationem, qua illustrissimae societati eorum, qui Pacem fecerunt Westphalicam, insigni cum honore interfuit. Vnde eius etiam memoria conservata in illustri Opere viri illustris, Io. Gottfr. von Meiern, Actis Pacis Westphalicae Publicis, vbi in *Beylagen zur Vorrede P. I.* p. 8. legitur: *DAVID GLOXIN, Doctor, Reipublicae Lubecensis Syndicus, eiusdemque, vt & Civitatum Hanseaticarum ad Tractatus Pacis Legatus.* Effigies eius exornavit quoque splendidissimum Conclave (Conferenz-Saal), in quo Osnabrugae Pax composita. Vid. Delineatio eiusdem aeri eleganter incisa ante Praefationem Partis IV. De hoc Gloxinio in Sebast. Bacmeisteri Megapol. Literat. Prodom. apud virum illustrem, Ern. Ioach. de Westphalen, Monument. Cimbr. & Megapolit. T. III. f. 1271 sq. annotatur, quod eum *ob consummatam iuris scientiam, sinceram Germanorum veterum fidem, ac summum etiam animi candorem Legati in pacificatione illa Westphalica Monasterii & Osnabrugae congregati virum ferrea manu (den Mann mit der eisen Hand) vocarint.*

HARDER (Eman. Sebast.) Gröbenissae, aut Grömsiae in Holfatia an. 1662. d. 24. Novemb. in lucem editus, Ioannis Harder, Pastoris Grömsiensis, filius, Lubecae humanioribus, Kilonii sanctioribus literis imbutus, impetravit an. 1698. d. 19. Mai. Ecclesiae Lubecensis ad Templum Arcis & Sp. S. munia, eademque ad obitum vsque, qui an. 1714. d. 14. Novemb. contigit, fide pariter ac industria ornavit.

ornavit. Testem habeo Enoch. Suantenium, Memoriae Harderianae auctorem.

HELMOLDVS, Presbyter in Wagria Bosovienfis, illustris saeculi duodecimi historicus, nullo quidem Lubecae (quam eius patriam esse, coniecerunt aliqui facilius, quam probarunt) functus munere, peregrie tamen de eadem est promeritus praestantissimo *Chronico Slavorum*, quod pro historiae Lubecensis antiquissimae fonte merito habetur. Vnde rectissime iudicat scrutator, dum viveret, rerum Lubecensium solertissimus, Iacobus a Melle (8), quod laudatum Chronicon sit *unicum praesidium, ad quod antiqua Lube.ensia rimanti, tanquam ad sacram anchoram, confugiendum*. Plura de Helmoldo dabunt Io. Mollerus (9), Io. Alb. Fabricius (10), & alii. Ad novam Chronici Helmoldini editionem adornandam apparatu non nullo me esse instructum, haud diffiteor, licet eandem certo polliceri nequeam, cum anni crescant, labores alii non decrescant. Dominus providebit!

HENNINGIVS (Georg.) Dithmarsus, Andreae Henningii, e fabro lignario facti, raro exemplo, Ecclesiae Tellingstedensis (11), filius, de Schola pariter atque Ecclesia Lubecensi bene meritus, siquidem in illa Subrectorem, in hac Symmystam Cathedralem non sine laude egit (12), an. 1616. d. 7. Sept. e mortalium societate egressus.

HEY (Paul.) Borlumo-Slesvicensis, Scholae Lubecensis, cui prodesse studuit, Collega an. 1709. d. 11. Iun. inauguratus, an. 1730. d. 29. Iun. defunctus, de quo plura alio loco (13) in medium attuli.

IAPPE (Asm.) Bosovio-Holfatus, inter Senatores an. 1608. d. 7. Mai. cooptatus, amplam bene de Republica Lubecensi merendi invenit occasionem, qua etiam ad annum vsque emortualem 1617. insigniter usus perhibetur.

KOCH

(8) Praef. Hist. Lubec. Antiq.

(9) Diatr. de Helmoldo. Lubec. 1702. 4.

(10) Biblioth. med. & infim. Latinit. L. VIII. p. 19; fqq.

(11) Vid. quae de eodem e IO. DETLEFI Chron. Dithmarsf. MSer. retuli in Select. Liter. p. 243.

(12) Conf. Athen. Lubec. P. IV. p. 201. fq.

(13) Hist. Athen. Lubec. p. 539. fqq.

KOCH (Io.) Oldesloa-Holfatus, electus an. 1703. d. 20. Febr. Senator, mortuus an. 1710. d. 16. Febr., Lubecensi Reipublicae vtiliter inferuire, neutiquam neglexit, quem ob humanissimam facundiam praedicatum audivi ab iis, qui eum cognoverunt.

KRVMMEDYCK (Albert.) Eques Holfatus, ab an. 1466-1489. Episcopus Lubecensis, de quo in Rudimento Novitiorum, opere rarissimo, f. 376. leguntur sequentia: *ALBERTIVS CRVMMEDYCK, XXIII. Lubicens. de sanguine curialium Holfaticorum natus, qui presenti anno Dni scilicet MCCCCLXXV. praesidet feliciter.* Inclaruit potissimum *Chronica Episcoporum Lubecensium*, antecessorum notitiam complectente, quae cum Anonymi Continuatione in Meibomiano Rerum Germanicarum Opere (14) reperitur. Citatus Anonymus incipit Continuationem suam descriptione Krummedyckii, quem varias ob virtutes praedicat; quocum Albert. Krantzius (15) conferri meretur. Famam ei quoque compararunt Libri liturgici, ipsius auspiciis editi, *Veri ordinis Lubicensis liber Horarum Canoniarum*, an. 1477, & splendidum *Missale*, an. 1486. evulgatum (16).

KRYSINGIVS (Balthaf.) Flensburgensis, Medicus & Philologus praestantissimus, Lubecae per annos complures vixit, ibidemque artem exercendo salutarem, praeclare de aegrotantibus fuit meritus. Quam feliciter is cum studio Medico artes coniunxerit humaniores, tum ex aliis, tum ex iis, quae dudum de eodem scripsi (17), haud obscure apparebit.

LINDHOLTZ (August. Sim.) Ploena-Holfatus, I. V. D., qui Lubecam an. 1715. ingressus, inque eadem an. 1722. d. 21. Febr. Senator, an. 1735. d. 19. Febr. Consul factus, tam multis, tamque magnis inclaruit meritis, vt ornamentis praecipuis, quae Lubecae concessit Cimbria, iure meritoque sit adscribendus. Quare nuper gravissime doluit
Civi-

(14) Tom. II. p. 389. sqq.

(15) Metropol. Lib. XII. c. 4.

(16) Vid. quae observavi in Select. Liter. p. 595. sqq. 603. sq. Nachr. von dem Urser. und Fortg. der Buchdr. in Lübeck p. 10. 13.

(17) Athen. Lubec. P. II. p. 257. sqq.

Civitas, cum tantum Virum d. 28. Decemb. 1743. amitteret. Reliqua ad hunc Cimbrum de Republica Lubecensi longe meritisimum spectantia in Memoria ipsius literis consignavi & ad posteritatem transmittere studui.

MOHTIVS (Paul.) Flensburgensis, Medicus & artis salutaris vsu & scriptis egregiis celeberrimus, cuius singularis peritiae aliquot etiam fructibus gavisa est Lubeca, etsi Podalirium hunc, quem ei dederat Cimbria, non retinuerit, praestantiae causa a gloriosissimae memoriae Danorum Rege, FRIDERICO III, inter Archiatros Regios clementissime cooptatum. Plura de eodem annotavit vir doctissimus, Bernh. Möllmannus (18), Professor hodie in Academia Hafniensi celeberrimus, quem olim auditorem optimis accensendum, officinamque nostram literariam Lubecensem publicam & probitate & industria & egregiis speciminibus, publice editis, valde ornantem, ac simul domesticum suavissimum, iure mihi gratulor.

MÖLLERVS (Io. Frid.) Vthinensis, an. 1645. d. 11. April. natus, qui Lubecae primum, ductu potissimum Bangertino, didicit, deinceps Kilonii, post accepta Patavii d. 10. Iul. 1675. Doctoris insignia; Lubecam reversus, artis Medicae ope strenuam laborantibus navare operam contendit, vsque dum ipse d. 10. Novemb. 1694. morbo lethali vinceretur. Refero hoc e Memoria Mülleriana ab Enoch. Suanzenio scripta, in qua plura de hoc Cimbro, Lubecensium corporis infirmitate afflictorum curam olim gerente, legi possunt.

NIEMANN (Christian. Albert.) Slesvicensis, Seb. Niemanni, Praefulis supremi Slesvicensis, deinceps laudandi, filius, an. 1680. luce donatus, quem, I. V. Doctoris honoribus conspicuum, Lubeca vidit primo ven. Capituli Syndicum, deinde ab an. 1722. d. 21. Febr. Senatorem, & tandem ab an. 1731. d. 20. Febr. Consulem, gravissimis muneribus ita fungentem, vt non sine relicta perinsignium meritorum laude
d. 13.

(18) Diss. de illustribus quibusdam in Republica Literaria Viris Flensburgo oriundis p. 14. sq.

an. d. 13. Mai. 1734. obierit. Copiosius de eodem egi tum in Athenis Lubecensibus (19), tum in Memoria, post fata ipsius evulgata.

NOLTO (Io.) Brunsbüttela-Dithmarfus, an. 1638. d. 2. Iul. prognatus, Medicinæ Doct̃oris gradum in Patavina Academia d. 23. Decemb. 1664. consecutus, qui (Medicis sacrarum etiam literarum peritis annumerandus, teste, quam reliquit, *Historia Iosephi*, quae ab Enoch Suantenio in Memoria Noltiana, *piis doct̃is que elaborata meditationibus* dicitur), fusccepto an. 1694. Poliatri, & an. 1708. Poliatri primi Lubecensis munere, praeclaris se meritis reddidit insignem. *De celebratissima*, ait Suantenus, *Medicae ipsius intelligentiae opera luculentissime testantur & Gazophylacium Pharmaceuticum et Dispensatorium Lubecense*, *opportunam & diurnam ipsi laudis meritaē prorogationem conciliatura.* E vita an. 1711. d. 13. Mart. migravit.

RANTZAV (Balthaf.) Eques Holfatus & Consiliarius Regius, Episcopus Lubecensis an. 1536. constitutus. Qua gaudens dignitate fata expertus est minus prospera, a Mellio (20) breviter commemorata.

REVENTLAV (Detlef.), Eques Holfatus, I. V. D. Praepositus Reinbecensis, & Cancellarius Danicus, adducti Rantzovii in Episcopatu Lubecensi antecessor, quod munus, an. 1535. impetratum, ut ornasset diutius, quam per vnum annum, eundemque ne integrum quidem, vel ideo optassent multi, quod emendatis per Lutherum sacris impense faveret, eademque promovere omni studio contenderet.

SCHERBECIVS (Io.) diferte vocatur Cimber in Epitaphio ipsi posito, quod Templum nostrum Iacobaeum hodieque exornat. Et recte quidem, cum a pago, Scherbeck, in quo pater eius, Iacobi Laurentii nominibus gavifus, per dimidium, & quod superest, saeculum, Pastoris administravit munia, traxerit appellationem, quamvis eum fuisse Flens-

B

burgen-

(19) P. III. p. 124 sqq.

(20) Nachr. von Lübeck p. 109.

burgensem, nonnullorum sit coniectura. Hic an. 1553. natus, an. 1633. denatus, ingens olim fuit Lubecae, in qua artem Medicam summa cum laude exercuit, decus, vir eruditissimus, a doctissimis suae aetatis viris permagni aestimatus. Vnde merito eius notitiam, a biographis neglectam, laudatus Möllmannus (21) supeditavit.

STEINBRECHER (Iac.) Neostadio-Holfatus, Scholae Lubecensis Collega d. 17. Decembr. 1691. publice renunciatus, d. 22. Febr. 1709. defunctus, vir de tenera iuventute bene meritus.

STINTIVS (Nicol.) Crempa-Holfatus, egregie primum de Schola, deinceps de Ecclesia Iacobaea Lubecensi meritus, d. 17. Mart. 1609. mortuus, a viro celeberrimo, Casp. Henr. Starckio (22), iure colaudatus.

STOLTERFOTH (Io. Iac.) Slesvicensis, magnis in rem Medicam & Physicam meritis perinclutus, Poliater Lubecensis laudatissimus, de quo, eiusque scriptis, quibus nomen suum vindicavit a mortalitate, non opus est multa denuo referre, cum hunc laborem & in Memoria Stolterfothiana 1718. evulgata, & in Athenis Lubecensibus (23) extitit.

STÖRNING (Henr.) Rendesburgo-Holfatus, Senatoriam Lubecae an. 1580. d. 8. Sept. adeptus est, an. 1592. d. 7. Sept. morte reliquit, dignitatem, nunquam meritis vacuam.

STRICKER, five STRICERIVS (Io.) e Pastore Grubensi in Holfatia factus an. 1587. Lubecae Ecclesiastes ad Templum Arcis, coetus sacri commodis, ad annum vsque emortualem 1598, prospicere laboravit. Eius, ac poetici scripti moralis, de dūdesche Schlömer vocati, quod Saxoniae inferioris lingua Francof. ad Viadr. 1593. 8. edidit, memoria apud Starckium (24) extat.

TESDORPE

(21) loc. cit. p. 17 fqq.

(23) P. III, p. 394 fqq.

(22) Hist. Eccl. Lubec. p. 568 sq.

(24) loc. cit. p. 398.

TESDORPF (Pet. Henr.) Swartovio-Holfatus, Lubecae an. 1703. d. 20. Febr. ad Senatoriam, an. 1715. d. 20. Febr. ad Consularem spartam evectus, utramque ornavit tam insigniter, ut magnorum eius in Rempublicam meritorum nondum sint obliti cives, summopere potius ea colant, & Tesdorpfium post obitum etiam, qui d. 27. Dec. 1723. contigit, venerentur. Statuere ei monumentum laboravi, conscripta ipsius Memoria, vberiori rerum Tesdorpfianarum notitia instructa.

TINNAPPEL (Bartholom.) Reinesfelda-Holfatus, & terra & mari Lubecae inservire, eiusque utilitati prospicere, annisus est. Gessit enim munitus Senatoris, an. 1544. d. 15. Jul. acceptum: Consulis, an. 1564. impetratum: Praefecti classis; navalibus occupatus rebus an. 1566. d. 29. Iun. extinctus.

VORSTIVS (Franc.) Holfatus, delatam sibi an. 1615. d. 16. Octobr. Subrektor Lubecensis provinciam ad an. 1619. administravit (25), adeoque meritis non plane nullis inclarescendi nactus est occasionem.

Sic Cimbria Lubecae concessit filios, qui praeclara ei praesiterunt officia, commodisque ipsius adaugendis operam navarunt iure meritoque praedicandam. At Lubeca in vicem dedit Cimbriae (in qua, pro instituti ratione, subsisto, in Daniam & Norvegiam non excurrens, cum alias celebrandi etiam essent Lubecenses, **BARTOLDVS BOTSACCVS** (26), Theol. Doctor & Professor, Teutonicaeque Ecclesiae Hafniensis Pastor ac Consistorii Assessor: **CHRISTIANVS BRAEMERVS** (27), Ecclesiae Teutonicae Hafniensis Pastor: **HENRICVS DÜRKOPIVS** (28), Theologiae Doctor, Professor Regius & Ecclesiae Teutonicae Hafniensis Pastor primarius: **HIERONYMVS BVECKIVS** (29), Ecclesiae Teutonicae Hafniensis Pastor: **IACOBVS HASEBARDVS** (30), Archiater Regius Hafniensis: **LYDOVICVS IOANNES MÜNTHENIVS** (31), Episcopus Bergenensis: **HENRICVS LEMMICHIVS** (32), Pastor Bergenensis

B 2

Eccle-

(25) Hist. Athen. Lubec. p. 290.

(26) Athen. Lub. P. I. p. 278 sqq.

(27) P. II. p. 135 sqq.

(28) P. I. p. 295 sqq.

(29) Neum. l. c. pag. D.

(30) l. c. pag. D. 3

(31) l. c. pag. D. 1.

(32) Athen. Lubec. P. I. p. 349 sqq.

Ecclesiae in Norvegia, & forsan plures Lubecenses Daniam ac Norvegiam ingressi, ibidemque muneribus publicis laudabiliter functi) filios, qui meritis in eandem haud exiguis inclaruerunt. Locum proinde in hac opella merentur

BERTOLDVS, Episcopus saec. XIII. Lubecensis, qui meritum in Cimbriam sibi acquisivit eo, quod an. 1216. suam quoque operam addiderit iis, qui nobile Coenobium Pretzense condiderunt (33). Quod fuerit patria Lubecensis, auctor Rudimenti Novitiorum (34) observavit.

BOEKELL (Martin.) non Reipublicae Lubecensis modo, sed & Ordinum Provincialium per Slesvicenf. & Holsat. Ducatus Syndicus, ab Henr. Bangerto (35) ob singulares, quibus insignis fuit, dotes praedicatus. Mellio (36) observante, ad Cancellarii in aula Slesvico-Holsatica dignitatem tandem ascendit. De eius proinde in Cimbriam meritis excellentissimis nemo poterit dubitare.

BREMER (Io.) praefitorum Aedi sacrae Marianae Flensburgensi, cuius fuit Diaconus, officiorum sanctiorum id tulit praemium, ut Concionatoris Aulae Regiae Hafniensis primarii dignitate exornaretur (37). Extant varii Sermones sacri, ab eodem elaborati.

CROECHELIVS (Io.), Ecclesiae Husensis Minister, qui dum Iuramento Sacerdotum in Ducatibus Slesvicensi et Holsatico d. 22. Mai. 1618. subscripsit, animum simul de puriori doctrina bene merendi est testatus (38).

CRÜGER (Petr.) Pastor Ecclesiae Kiloniensis primarius (39), administravit munus, quo non potuit non insigniter de resacra mereri.

DEDEKENVS (Georg.) Cimbriam non reliquit, Hamburgumque abiit, ante, quam apud Schoenbergenses & Neostadienses (40) munia sanctiora dextre gessisset. Neque ore tantum profuit, sed calamo etiam, testanti-

(33) Annotavit hoc etiam Mellius l. c. pag. 105.

(34) f. 375.

(35) Dedicat. Dissertationis de Poculo Iovis Servatoris & Boni Genii. Lubec. 1663. 4.

(36) loc. cit. p. 76.

(37) V. Io. Molleri Isag. ad Hist. Cherfon. Cimbr. P. III. p. 273. Neumanni Or. de Favore Lubecenf. in Exter. pag. D.

(38) Conf. maxime rev. Io. Melch. Krafftii Hist. Eccl. Hus. p. 396.

(39) Neumann. l. c. pag. D.

(40) Id. l. c.

testantibus scriptis (41), quae inter *Theſaurus Conſiliorum & Deciſionum* principatum haud dubie obtinet.

DOBBIN (Ioach.) Lycei Flensburgenſis (cuius, & laboris pro virili in eodem exantlati, non ſine iucunditate recordor) Reſtor, de re ſcho-laſtica praeclare meritis ad annum vsque 1588, quo in patriam urbem Lubecenſem revocatus, munia ſanctiora fideliter obiit (42), an. 1614. defunctus.

ECKENBERGER (Blaf.) *Scriba*, teſte Mollero (43), *Praefecturae Flens-burgenſis, per annos LVI, & quod excurrit, publicus, & Iudicii ſimul Pro-vincialis Slesuico-Holſatici Grammaticus, an. 1603. (aet. 80) etiamnum ſuperſtes*, qui praeclariffimus historiae literariae Cimbricae ſcriptor *Saxo-nicam Nomocanonis Iutici Verſionem* Eckenbergerianam non modo vocat *accuratiſſimam*, ſed alia etiam eius ſcripta & merita in Ius Cimbro-Danicum collaudat (44).

ERTMANN (Henr.) Verbi divini Miniſter Eccleſiae Coldenbütteleſis, eadem, qua Croechelius, ſubſcriptione (45), aliisque laboribus ſacris, de incorrupta doctrina inſigniter meritus.

ESCHENBVRG (Io.) Concionator primum aulicus Reinfeldenſis, deinceps Paſtor Zarpentis, egregium in Cimbria praeconem ſacrum egit, ſimi-lique poſtea fide in Eccleſia Lubecenſi patria, quae a S. Petro trahit appellationem, labores ſanctiores ad annum vsque emortualem 1641. continuavit (46).

FREIMANN (Chriſtian.) Eccleſiaſtes Kilonienſis 1635. conſtitutus, ob praefitam quoque, plus vice ſimplici memoratam, ſubſcriptionem Cim-bricam (47), & ſimul merita, celebrandus.

GOETTEN (Henr. Anhold,) Paſtor in Holſatia Neoftadienſis (48) egregie meritus.

B 3

GRVBE

(41) Athen, Lubec. P. I. p. 291 ſq.

(42) Conf. Nov. Lit. Mar. Balch. 1702. p. 297. Mollerus loc. cit. p. 279. Mellius loc. cit. p. 148. 187. Starckius I. c. pag. 583 ſq. Add. quae obſervavi in Seleſt. Liter. p. 523.

(43) Iſag. cit. P. I. p. 266. (44) I. c. pag. 267. 268. 270. Add. Alb. Bartholinus de Script. Danor. p. 126. in laudati Molleri Biblioth. Septentr. Erudit.

(45) Conf. Kraſſius loc. cit. p. 404. (46) Vid. Starckius loc. cit. p. 862 ſq.

(47) Leg. Kraſſius I. c. pag. 398. (48) Athen, Lubec, P. I, p. 319.

GRUBE (Herm.) Medicus eruditus Scriptis: *Analyſi Mali Citrei*. Hafn. 1668. 8: *Commentario de Modo ſimplicium Medicamentorum facultates cognoscendi*. Hafn. & Francof. 1669. 8: *De Arcanis Medicorum non-arcanis Commentatione*. Hafn. 1673. 8: *De Transplantatione Morborum Analyſi nova*. Hamb. 1674. 8: *De Ictu Tarantulae & Vi Muſices in eius Curatione Coniecturis Phyſico-Medicis*. Francof. 1679. 8., ac pluribus, clariffimus, illuſtris Collegii Naturae Curioſorum Palamedes, civitati Haderslebienſi, cuius Regia fuit auctoritate Phyſicus conſtitutus, operam praefitit utiſſimam. Deceſſit an. 1698. Plura de celeberrimi huius viri vita & ſcriptis in Athenis Lubecenſibus (49) memoriae prodidi.

HILMERS (Io.) munere ſacro, ad quod obeundum an. 1702. vocatus eſt, apud Burgo-Femarienſes diligenter functus, abiit Hamburgum, cui, in Templo Cathariniano, ſanctiori officio, Lubecae libello, 1716. edito, ſacrorum in vrbe patria emendatorum aliquam ſuppeditante notitiam, Cimbriae commentario, quem molitus eſt, & *Femariam Hiſtoricam* (50) inſcribere voluit, inſervire laboravit.

von HÖVELN (Goth.) Conſul Lubecenſis ad an. 1654., quo anno abiit in Cimbriam, designatus Conſiliarius Regius Danicus & Vice-Cancellarius Glückſtadienſis, quae ſplendida gerens munia an. 1671. d. 14. Febr. vitam cum morte commutavit.

MICHAELIS (Henr.) *ICTus e Reſponſorum, ſive Deductorum Iuris, Kilonienſium aliorumque ſelectorum, Libro*. Lubec. 1673. 4. nec non *Tractatu Juridico de Inquiſitione Criminum*. ibid. 1676. 4. egregium in orbe civili & literario nomen conſecutus, ante ſuſceptum in patria vrbe Lubecenſi Syndici primarii munus recens conditae Academiae Cimbricae gloriam & famam conciliavit. Qua de re iuvabit audire Abrah. Hinkelmannum, in *Programmate* ipſius funebri ſic inter alia ſcribentem: *Ad ea perventum eſt tempora, in quibus de inſtituenda nova & vicina Kilonienſi Academia magnanimus Cimbrorum beros conſilia ceperat: cumque de advocandis in nobile hoc optimarum artium emporium viris in quavis doctrina maximis ſollicitus eſſet, inter Iuris Profeſſores locum ſecundum honorificis literis noſtro Michaelis obtulit. Hanc novam provinciam admirabili ſua eruditione ex tanto rerum uſu non parum huc usque aucta inſtutam reddidit.*

Copio-

(49) P. III. p. 222 ſqq. (50) Eius ſciagraphiam dedi Athen. Lub. P. I. p. 337. ſqq.

Copiosiora de hoc praecleari nominis viro , 1678, d. 13. Ian. mortuo, alio loco (51) annotavi.

NICOLAI (Adam. Laur.), in Athenis Lubecensibus (52) merito laudati, aliquam commoda hac occasione facere etiam licebit mentionem, quoniam & is novae Academiae Kiloniensis honorem amplificare contendit. Quo consilio edidit Graece & Latine scriptum poeticum elegantissimum, hoc titulo : *Παλλὰς Σοῦηδοριένη, sive Carmen Gratulatorium ob felicissimam Kiloniensis Academiae instaurationem, in laudem tum Serenissimi Principis ac Domini, DN. CHRISTIANI ALBERTI, tum perillustri & generosissimi viri, DN. IOHANNIS ADOLPHI KIELMANNI a Kielmans-Ecke, inter summos Academiae applausus, adhibitis solenniati- bus, in Auditorio Theologorum memoriter recitatum.* Kilon. 1667: 4.

NIEMANN (Sebast.) ad ornamenta, quae produxit Lubeca, Cimbriae autem concessit, summo referendus iure, eo maioribus inclytissimus factus est meritis, quo graviora sunt munera, quae praeclearissime administavit. Fuit enim Superintendens Generalis & Concionator Aulicus primarius Slesvicensis, nec non Praepositus Gottorpiensis. Quas dignitates nominasse, est simul merita ex iisdem emanantia concelebrasse. Multa possem de excellentissimo Theologo asferre in medium, si alii (53) hoc labore non essent dudum defuncti.

POLZIVS (Io.), Io. Polzii, Conrectoris Lubecensis meritissimi, filius, e Rectore Luneburgensi factus an. 1701. Pastor Pretzensis, vt initio Scholae, sic postea ad annum vsque emortualem 1706. Ecclesiae vtilia praestitit officia. Memoriam eius in Athenis Lubecensibus (54) studui conservare.

RATEKE (Philipp. Henr.) I. V. D. & Consiliarius Holsato-Ploenenfis (55), cuius ministeria Principi integre exhibita meritis carere non potuerunt.

TILE (Henr.) Ecclesiastes Oldenburgensis, qui in antecedentibus commemoratae Formulae, sincerae doctrinae in Cimbria conservationem pro scopo habenti, itidem an. 1640. subscripsit (56).

TRIBBECHOVIUS (Adam.) Professor Kiloniensis celeberrimus, qui & solida eruditione & indefessa industria adeo se probavit, vt honeste quidem

(51) Athen. Lubec. P. I. p. 250 sqq.

(52) P. II. p. 166 sqq.

(53) Vid. quos citavi Athen. Lubec. P. III. p. 124.

(54) P. II. p. 193, 199.

(55) Neumann, l. c. pag. D, 2.

(56) Comp. Kraffius l. c. pag. 398.

quidem, aegre tamen, fuerit dimissus, cum an. 1672. ad gravissima munia sacra Gothae obeunda vocaretur. Quantus fuerit vir, apparebit velle iis, quae de eodem in Athenis Lubecensibus (57) commemoravi. WETSTEIN (Dav. Henr.) Inspector & Pastor Burgo-Femariensis (58), utramque ornavit spartam, reliquit vero ante obitum, fata paulo duriora expertus.

WILDIVS (Martin.) e Subrectore Lubecensi factus an. 1629. Inspector & Pastor Femariensis, de re & scholastica & ecclesiastica eximie fuit meritis. Plura, quae ad laudem ipsi valent, alio loco (59) annotavi.

WINTER (Gerh.) profuit Kilonio, ubi demandatum sibi an. 1616. Rectoris scholastici munus per triennium fideliter executus est, arcessitus deinceps in patriam urbem Lubecensem, quae sacris eum praeconiis adscripsit. Confer, quae de eodem, ac scriptis ipsius, citato loco (60) sum commentatus.

Vides, VIR CLARISSIME, Cimbro de Republica Lubecensi, ac Lubecensibus de Cimbria insigniter meritos, & tot quidem (omnes enim me commemorasse, non ausim asserere), quot memoria mihi, Epistolam gratulandi studio ad Te scripturo, suggessit. Supplebis forsitan numerum eorum in Supplementis, quae meditaris, Cimbriae Literatae, ad quae perficienda, inque lucem proferenda, vitam Tibi, vires ac valetudinem sincere exopto. Copiosiora de plerisque, quos honoris causa nominavi, Cimbris pariter ac Lubecensibus, potuissem annotare, si dubitarem, fore, ut memoria praecipuorum, & eorum praesertim, qui alicuius in literaria republica sunt nominis, in laudato Cimbriae Literatae opere non sit conservata. Diligentissimum scilicet Parentem tuum indefesso cuncta, quae indagari potuerunt, conquisivisse studio, norunt, praeter me, omnes, qui eum cognoverunt, quod ipsum quoque eius opus comprobabit. Quam avide istud huc vsque fuit desideratum, tam gratam, imo gratissimam, permultis rem facies laudabili opera, eidem evulgando navata. DEVS Te fervet, felicitatem Tuam magis semper magisque augeat, egregiosque Tuos conatus fortunet! Opto hoc eo candidius, quo certius, quod longe lateque celeberrimus MOLLERVS Flensburgensis filium reliquerit patristantem. Vale. Scr. Lubecae
m. Ian. MDCCXLIV.

(57) P. II. p. 363 sqq.

(58) Nov. Lit. M. B. 1704. p. 158.

(59) Athen. Lubec. P. III. p. 470. P. IV. p. 333 sqq.

(60) P. II. p. 410 sqq.

**

**

**

No 113.
8 80



17. 11.





DE
CIMBRORVM IN REMPVBLICAM
LVBECENSEM

ET
LVBECENSIVM IN CIMBRIAM
MERITIS

DISSERTATIO EPISTOLICA,

AD
IOANNIS MOLLERI
CIMBRIAE LITERATAE

EDITOREM,

VIRVM CLARISSIMVM DOCTISSIMVMQVE,

**OLAVM HENRICVM
MOLLERVM,**

SCRIPTA

A

IO. HENR. A SEELEN,

SS. THEOL. LIC. ET GYMN. LVBEC. RECT.

LVBECAE,
OPERIS GREENIANIS. A. MDCCXLIV.